



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Meditandi A S. P. Ignatio Societatis Iesv Fundatore  
traditæ Explicatio**

**Le Gaudier, Antoine**

**Dilingæ, 1627**

Cap. XIII. Meditandi praxis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50280](#)

76 DE ORATIONE.

per se obtinere non potest, illud supplex à Deo petit. Quod si iam aliqua bona à patre lumen & authore gratiarum accepit, de ijs DEVM laudat, & gratias ut pareat, summa grati animi significatione agit, denique omni obsecrationis, petitionis, & obsec quiorum genere beneficam & liberalem Dei voluntatem studet omnino quantum in se est demereri. Hæc omnia eleganter Bernardus tradid, loco sup. citato: *Meditatio*, inquit, quid sibi apperendum diligenter inquirat, & quasi effodiens thesaurum inueniat, & ostendat: sed cum per se obtinere non valent, mittit nos ad orationem; oratio se totis viribus erigens ad Deum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem. Et infra: *Meditationem* ait sine oratione esse insufficiens.

---

CAPUT XIII.

*Meditandi praxis.*

MODVS

**M**odus meditandi plurimum  
pendet a desiderio supradicto  
& affectu placendi Deo; sic enim a  
Deo impetrabit anima lumen quo  
facile intellectus concipiat, & solidè  
iudicet, constanterque perseveret in  
cognitione & discursu rerum ad  
Dei honorem pertinentium: natura-  
le quippe est, & experientia ipsa no-  
tum amanti nec verba deesse, nec cō-  
ceptus, nec vero etiam intimos cor-  
dis affectus, quos cum amico com-  
municet. Et quanquam huius desi-  
derij vehementia faciat, ut tunc esse  
optima meditatio soleat iuxta sancti  
Antonij sententiam, quando anima  
non aduertit quomodo mediterur,  
aut oret, sed ipsa suo affectu veluti  
abrepta de solo suo dilecto cogitat,  
non de modo quem in orando tenet;  
ad quem modum cum aduertit, in eo  
defixa nonnihil a dilecti comprehen-  
sione retardatur: quia tamen non est  
omnibus obrium ut concepti diui-  
ni amo-

ni amoris flammis statim inardescat,  
nosque Deus humano modo regit;  
idcirco sit ut adhibenda etiam summa  
nobis cura sit & teneda aliqua ratio,  
qua illi in oratione affectus, seu primus  
excitetur, seu aliquando iam sopitire.  
uiuiscat. Qua de re varijs varia praece-  
pta traduit. Nos Patris S. nostri Ignati  
ij præceptionibus insistemus, quibus  
nihil circa orationis mentalis praxim,  
vel facilius, vel magis solidum occurrit.

Sanctus igitur Pater noster Ignati-  
us totam meditationis praxim com-  
prehendit exercitio trium animæ po-  
tentiarum; memoriæ, intellectus &  
voluntatis, seu, quod eodem recidit,  
tribus mentis operationibus & affe-  
ctibus voluntatis; memoriæ nomine  
comprehendendo quidquid ad sim-  
plicem rerum apprehensionem ac  
iudicium pertinet, nomine intelle-  
ctus discursum seu ratiocinationem;  
nomine vero voluntatis, affectus o-  
mnes, & motus voluntatis.

Primùm

Primùm igitur circa veritatem in meditatione propositam exercenda est memoria per primam & secundā mentis operationem, apprehensionem scilicet atq; iudicium, sic vt reuoces in memoriam quæ ad eam veritatem illustrandam, & intimè penetrandam iuuare possunt; tum ex ijs quæ in præcedenti præparatione cogitaueris, tum ex ijs quorum etiā aliunde ex aliqua alia cognitione posteris meminisse; expensis attentè circumstantijs, gestis etiā & verbis personarum, quæ in eā parte meditacionis occurrunt, donec totius mysterij verum sensum & intelligentiam distinctā & actuali cogitatione assecuraris; accedente insuper iudicio diuinæ fidei & assensu intellectus, quo rem ita se habere firmissimè & sine vlla dubitatione credas, idq; propter authoritatem primæ veritatis, cui religiose te subiicias, intellectumque in obsequiū fidei captiues, ijs assensum præben-

## 80 DE ORATIONE

præbendo, quæ circa materiam propositam summâ suâ benignitate Deus hominibus reuelauit, ut cultum diuinæ maiestati & debitam reuerentiam exhibeas.

Vbi duo sunt aduertenda. Alterū est, hoc exercitium memorie in his duobus positiuè consistere. Et primo quidem in attenta ac diligēti totius puncti, singularūmque eius partium apprehensione, qua verum eius sensum & intelligentiam penetrēmus, & quæ in eo latet veritatem, totam quodammodo, atque actu præsentem possideamus, subiectæ materialiæ & circumstantiarum eius ratione imprimis habita. Nam cum omnis meditationis materia ad hæc duo fere capita reuocari possit, ut vel sit res aliqua gesta ac pia historia, qualis est vita & passio Christi, cæterāq; fidei nostræ mysteria: vel veritas aliqua à Deo reuelata, ipsifsq; sacrae Scripturæ verbis comprehensa, hoc solum in-

ter

ter vtrumq; discrimen intercedit, vt  
in priori personarum, verborum, ac  
gestorum, cogitationum etiam, affe-  
ctuum, atque intentionum circum-  
stantiae magis ad praxim utiles & ac-  
commodatae expendantur: in poste-  
riori vero in significatione verborū  
latens sensus eruatur, non curiosa  
quadam & vana indagatione, sed so-  
lida, quæ ad opus & operationem  
virtutis mouere efficaciter possit. Se-  
cundò vero & potissimum consistit  
hoc exercitium memoriarum in iudicio  
fidei diuinæ, & lumine pratico quo  
rem credamus, quam apprehendi-  
mus, non ut aliquid fictum, aut natu-  
ralem veritatem, per opinionem, fi-  
dem humanam, aut etiam scientiam,  
sed ut veritatem supernaturalē, pro-  
pter solam Dei reuelantis testifica-  
tionem, quem ut colat, eius authori-  
tati se intellectus religiose subiicit,  
eiùsque dictis summā reuerentiā fir-  
missimum præbet assensum: lumine,  
dixi,

## 82 DE ORATIONE

dixi, practico, quia hoc iudicium nō tam mentem illustrare ad sterilem aliquam cognitionem speculatiuam, quam voluntatem etiam ipsam fœcundo quodam calore, quem virtute in se continet, ad omne opus virtutis, & studiosarum actionum exercitationem debet inflammare.

Alterum est, hoc memoriae exercitium esse velutibasim & fundamen-  
tum totius meditationis, seu quatenus meditatio est discursus superna-  
turalis, seu quatenus naturā suā ten-  
dit in pios circa Deum & res diuinæ  
affectus. Nam quemadmodum veri-  
tas fidei diuinæ est principium con-  
clusionum supernaturalium, & pra-  
cticarum, quæ in ea latent; atq; etiam  
affectuum quos voluntas circa obie-  
ctum propositum ex ijs conclusioni-  
bus elicit: Ita eiusdem veritatis fidei  
distincta & firma apprehensio est  
principium discursus quo huiusmo-  
di conclusiones cernuntur; & affe-  
ctuum

Etum in quos ipsa voluntas erumpit. Quamobrem si noster intellectus diuinæ fidei lumine sit à Deo illustratus, maiori etiam suo studio & contentione rebus à Deo per reuelationem propositis adhæserit; fiet sine dubio ut & ipse intellectus veritatem in meditatione propositam clariùs perspiciat, latentesq; in ea tanquam in principio conclusiones practicas, & clariùs intueatur, faciliusq; eruat, voluntatiq; proponat, & ipsa deinde voluntas motum & excitationem intellectus sequens in omnibus, ad maiorem eius contentionem, maiori etiam cupiditate & ardore in suis affectibus accendatur. Quare omni studio curandū est ut hic si dei actus viius, firmus, & intensus sit, exhibitis ijs rationibus, quæ ad bene intelligendum & penetrandum propositæ veritatis sensum facere possunt, in cuius etiam assensum per plium credendi affectum intellectus liberè inclinan-

E

clinan-

## 34 DE ORATIONE

clinandus, imo & breui oratione ex-  
citandus aut vrgendus est. Etho-  
certè qui studiosè faciet experienti-  
sensim fidei lumen ab exiguis lice-  
interdum initijs, accedente nouo Dei  
actuali auxilio, ad magna plerūq;  
incrementa sese extendere. Itaq; to-  
tam orationis materiam peruader-  
ac illustrare, vt miretur tam ingentis  
se sese campum in argumento medita-  
tionis aperire, quo intellectus per  
multiplices conclusiōes practicas li-  
berè jucundeq; decurrat: accedente  
præsertim voluntatis motu, qui quē-  
admodum per discursum intellectus  
creatur, ita eundem intellectum ad  
alios atque alios discursus eruendos  
extimulat.

Ex his autem facile est intelligere,  
non ideo hoc exercitium, dictum ex-  
ercitium memoriæ, quod ad hāc pri-  
mam praxis meditandi partem sola  
memoria concurrat, sed quia cùm  
manifesta esset ex parte potentiarum  
diuersi-

diuersitas inter affectus, ad volunta-  
tem pertinentes, & discursum, ad  
intellectum, nec verò esset inter di-  
scursum & apprehensionem verita-  
tis fidei; vterq; enim actus ab intelle-  
ctu proficiscitur, commodiorem nō  
potuit sanctus Pater Ignatius assigna-  
re quam tribuendo nomen intelle-  
ctus discursui, qui est proprius & per-  
fectissimus intellectus actus, memo-  
riæ verò, illi apprehensioni ad quam  
ipsa etiam memoria plurimum con-  
fert. Quamquam enim fieri possit ut  
quis illam fidei veritatem notam an-  
tea habuerit, eamque habituali cog-  
nitione possideat, id tamen non est  
satis, ut ipsa efficax principium ad eli-  
ciendas per discursum practicas con-  
clusiones, sed præterea necesse est ut  
eiusdem veritatis notitiam præsentē  
& actualē habeat, quod ut plurimū  
memoriæ munus est: sicut enim in  
Theologicis & Philosophicis parta  
pridem Principiorum cognitio ad

E 2      prom-

## 86 DE ORATIONE

promptam disputationem & expeditam ratiocinationem imbecillio est, atq; adeo solet quilibet ad huiusmodi concertationes veterem memoriam accurata meditatione ac lectio ne refricando, nota iam principia praesente actu prompta ac parata ad formanda facilè argumenta & responsiones statuere: Ita ad expromenda ex veritate principioq; fidei conclusiones practicas, vel nihil, vel parum potest parta iam eiusdem principij cognitio, habitu solùm mentem informans. Quare necessarium est ut homo se disponat subministratis per memoriam ijs apprehensionibus & rationibus, quas ante circa propositam veritatem exercuit. Quod adeo necessarium est, vt ferè semper & ipsum lumen practicum iudicij spiritus, & tota quæ ex eo potissimum pendet meditatio, languescat, multisobnoxia impedimentis & illusionibus, nisi per præium memorie exercitium

um

um viuæ aliquæ cogitationes, mysterij sensum & veritatem aperientes, in intellectum aduocentur, saltem in ijs qui communiorandi modo & humana ratione ducuntur. Nam si quos Deus supra communem cæterorum modum euehit, abundatique fidei ac sapientiæ supernatura- lis lumine quandoque illustrat, ita ut in eorum mentibus actualem semper fuï, rerumque æternarum notitiam & pariat, & queat, eos non existimo prescripto hoc memorie exercitio multum egere. Nam statim ac illi fidei oculum in propositam materiam intenderint, tunc repento quodam impetu, sine vlla difficultate, aut mora, penè etiam sine discursu, flamمام concipiunt, practicè in Deum mouentur, & quid sibi ad eius gloriam agendum sit, nō intelligunt modò, sed firmiter constituunt. At quoniam hoc non ita ordinarium est, ad contemplationem pertinet,

E 3      nōsque

nósque cum Sancto Patre Nostro ordinariā meditationis praxim ad methodum præscribimus, hoc memoriæ exercitium omnino requirimus ad actum fidei, & primum istum gradum ac fundamentum meditationis; quæ tamen etiam ipsa ad contemplationem viam sternit, eo scilicet sensu, quia Deus plerumque admirabili quodam nexu meditationi contemplationem adiungit, eosque qui se diligētissime in præscripta meditationis via exereuerint, ad contemplationis quietem solet perdere.

Post hunc actum sequitur intellectus exercitium per ratiocinationem & discursum, deducendo scilicet ex præcedenti fidei actu & lumine pratico, tanquam ex principio, conclusiones etiam practicas, ad modum & virtutis perfectionem accommodatas; quæ in eo tanquam in semine fructus, includuntur. Quare discur-

discursum et si iuuet plurimūm sapi-  
entia, aliāque dona intellectus natu-  
ralia, præcipue tamen efficit sapien-  
tia ac prudētia supernaturalis, cuius  
est ex fidei principijs elicere prædi-  
ctas conclusiones practicas quotidi-  
anis vitæ actionibus, materiam, fi-  
nem, modum & absolutam rectitu-  
dinem præscribentes: hoc enim so-  
lum virtutum istarum lumen homi-  
nibus quæ verè bona, quæ mala, quæ  
optanda, aut timenda, quæ aman-  
da, quæ fugienda sunt, sincerè, ut in  
his humanæ vitæ tenebris necessariū  
est, ostendit: hoc solum viam virtu-  
tis in tantis erroribus aperit, & cum  
ritè, quem illustrat, docet quę sui sint  
partes officij, quomodo se erga Deū,  
quomodo erga se, aliósque gerere  
debeat, quid de bonis huius vitæ, di-  
uitijs, delicijs, honoribus, famâ, lau-  
de, æstimatione, quid de virtutibus,  
vitiisque, ijsq; in æternâ vitâ propo-  
fitis pœnis aut præmijs sentiendum

## 90 DE ORATIONE

fit. Quo fit ut nihil facilius sit intel-  
lectui hac sapientiae luce perfulso,  
quam ex principio fidei & lumine  
practico praesente, practicas per di-  
scursum conclusiones elicere. & eli-  
citas voluntati proponere; praeser-  
tim si accedat pius aliquis voluntatis  
affctus erga Deum, eiusque cultum.  
Hic enim mitum ita modum iuuat  
discursum, intellectumq; quodam-  
modo impellit, vt ex praesenti fidei  
actu materiam sibi eruat, circa quam  
possit operari. Dici vero non potest  
quantum profit ad motus voluntatis  
hic discursus, & conclusionum pra-  
etiarum propositio: Nam cum vo-  
luntas sit potentia ex se cæca, quo  
tendere, & quem tenere modum de-  
beat, vt ritè Deū colat & amet, suūm-  
que vt finem consequatur, ignorans,  
& intellectum ducem sequens; hic  
cum face diuini luminis prolata viā  
commonstrat, Deique voluntatem  
ex fidei principijs per euidentissimū  
discur-

discursum, & certissimam conclusionem proponit, ei statim se voluntas, pro naturali quam cum eo habet affinitate, adjungit; vix ut ipsa consensum negare possit; sed dulci quādam injecta vi, quamquam libera, eo se concitatissimè confert, quò eundum intellectus à Deo illustratus indicauerit.

Restat igitur ut post discursum & exercitium intellectus voluntas se per suos affectus circa conclusiones elicas exerceat; hic enim est finis præcedentium actuum, eóq; demùm tendit tota meditatio, quæ & suā naturā practica est, & ideo practica quia ad praxim refertur. Praxis verò est ipsa voluntatis operatio per affectus & motus.

Affectus porrò omnes qui ex meditationis discursu excitandi sunt in voluntate, Sanctus Bernardus comprehendit deuotione & compunctione, quanquam etiam ipsa compunctione

E s c i o

## 92 DE ORATIONE

Etio deuotio quædam est. Ratio hu-  
ius distinctionis est, quia cùm vo-  
luntas duobus in genere modis dun-  
taxat operetur, prosequutione sci-  
licet & auersione circa bonum aut  
malum propositum: speciatim etiam  
in genere morum circa virtutis aut  
peccati materiam, per deuotionem,  
ad bonum virtutis afficitur per amo-  
rem, per compunctionem verò à malo  
peccati refugit per odium.

Et compunctionem quidem cer-  
tissimum est circa omnia peccata ex-  
erceri, vt ea detestetur, fugiat, me-  
tuat, præterita, præsentia, aut futu-  
ra. Nam cùm intellectus per medita-  
tionem illustratus eorum damna  
voluntati proponit, tunc eorum sen-  
tit aculeos, & dolore veluti conce-  
pto compungitur, stimulaturq; ad  
ea detestanda, & corrigenda, cauen-  
dāq; in posterum. Potest etiam com-  
punctionis ad alia mala pœnæ & miseri-  
as siue communes, siue particulares,  
siue

sive præteritas, sive futuras, ut mor-  
tem, iudicium, & peccati effectus  
pertinere. Quare dū ea omnia intel-  
lectus considerat & proponit volun-  
tati, illam quodammodo pungit, &  
elationem, eiūsque diffusionem ad  
amorem rerum terrenarum, salubri-  
suae miseriæ consideratione compri-  
mit. Comprehendit ergo compun-  
ctio omnes illos voluntatis affectus,  
qui ad humilitatem, & pœnitenti-  
am, suiq; odium spectant, & ex co-  
gnitione sui oriuntur. Qui enim per  
meditationem bene apprehendit id  
quod est ex se, non potest non im-  
primis odiſſe se, & detestari, vt pec-  
cati causam, item voluntatem pro-  
priam, sensus, carnem, vitam etiam  
præteritam abominari: vnde sequi-  
tur affectus mortificationis, quo nos  
ipsos vt tantorum malorum autho-  
res, & Dei hostes prosequimur, om-  
nibus bonis renunciamus, voluntati  
propriæ frænum injicimus, sensu-

E 6      umque

## 94 DE ORATIONE

sumque licentiam comprimimus.

Affectus autem deuotionis volūtatem excitat ad omne bonum virtutis quod ei proponitur complectendum. Vnde his duobus deuotione & compunctione vita nostra spiritualis conseruatur, non secus atque compressione & dilatione cordis & pulmonum vita corporis: & sicut compunctione oritur ex cognitione practica nostrae miseriæ, & nos in nosmet cogit; ita deuotio ex practica etiam Dei cognitione dimanat, & in Deum eiusq; cultum, id est, Dei laudem, gratiarum actionem, amorem, admirationem & similes actus cor nostrum dilatat. Nam deuotio, ut recte S. Thomas ait, est actus vel religionis, vel charitatis, quo perspecta Dei excellentia & bonitate propter quam perfectissimè ei seruiendum, & amandum eum esse iudicium praticum dictat, voluntas afficitur erga omnia Dei bona, & omnem Deiculum

tum generaliter amplectitur, eique totam se tradit & addicit, & multa etiam in particulari imperat proposita variarum virtutum, ut actuum fidei, spei, charitatis, religionis, orandi, saepè communicandi, operum misericordiae, denique Christi Domini perfectæ imitationis, in cogitationibus, dictis, & factis; imò etiam odij sui & humilitatis; licet enim hi actus sint compunctionis, deuotio tamen ipsa compunctionem excitat, vt suos actus exerceat ad Dei gloriam, imò fit ordinariè vt intellectus ex eodem principio deducat conclusiones practicas compunctionis & deuotionis, &c; voluntas ex eodem etiam capite primò dilatetur in Deum, eum admirando, laudando, gratias agendo, sperando, amando, proponendo ad eius gloriam hæc vel ista virtutum opera exercere, deinde se se deprimat & compungat, accusando se & imperfectiones, miseriāsq; suas expōnendo

## 96 DE ORATIONE

nendo coram Deo: nonnunquam etiam utrumque motum ita commisceret, ut & sui odium simul & Dei amorem, sui dissidentiam & consentiam in Deo concipiatur; itemque suas miseras, & cum iis Dei bonitatem admiretur, & ita de ceteris. Horum affectuum ex meditatione nascientium commixtionem ita describit S. Gregorius, in Psal. 4. pœn. Electi dum sanctæ contemplationis penitus ad cœlestia contemplanda se erigunt, et subtilius si quid in seipsis vitiōsum latenter inueniunt, quo ad diuinæ lucis claritatem vicinus accedunt, tantoq; eis displiceret quod infirmum ex carne tolerant, quanto eos delectat quod ex incorruptibili vita suavitate degustant: unde fit quod graui in seipsis vel prebiis verbis, vel pro vanis cogitationibus invectione defauiant, et que lenia ante crediderant, mox ut grauia et mortifera perhorrescant. Verum deuotione cæq; duplicitur postea.

Cate-

Cæterum tota hæc meditandi praxis  
& methodus exercendarum trium  
animæ potentiarum clarius innote-  
scet ex exemplo quod postea etiam  
proponemus cap. 15. ubi modum,  
quo ipsum principium fidei appre-  
hendere, & ex eo conclusiones de-  
ducere, ac demum voluntatis affe-  
ctus excitare quilibet possit, clarissi-  
mè ipsis oculis subiiciemus.

Ex iis quæ hoc capite dicta sunt  
obiter intelligi potest, quæ sit natu-  
ra & usus Repetitionum tam frequé-  
ter in Exercitijs à S. P. Ignatio com-  
mendatus. Cum enim finis præcipuus  
meditationum sint affectus, & ex ijs  
necessariò consequentes virtutum  
operationes, nihilq; sit facilius quám  
ut voluntas, siue ex innata sua liber-  
tate & inconstantia, siue ex obiecto-  
rum sese iugerentium turba, & partis  
inferioris ac sensuum leuitate ac re-  
bellione, pios in meditatione con-  
ceptos affectus exuat, nisi illi altissi-  
mè de-

## 98 DE ORATIONE

mē defixi inhāreant, sapientissimē S.  
Pater meditationum Repetitiones  
excogitauit, in quibus scilicet, iam  
supposita ex præcedentibus medita-  
tionibus memoriae & intellectus ex-  
ercitatione, actu satis & præsentis suo  
influxu perseverante, leui prius im-  
pressi vestigio virtutum affectus cre-  
bra repetitione non tantum confir-  
mentur, sed diuturnum etiam robur  
atq; ad opus longè maiorem efficaci-  
am acquirant. Quare hanc eius mē-  
tem aperte fuisse constat, vt decursis  
leuiter per memoriam & intellectum  
principio & conclusionibus tota vo-  
luntas in affectus excitandos diutur-  
nijs incumberet, quę & causa est cur  
ordinariè repetitionibus plura col-  
loquia subiunxerit.

## CAPUT XIII.

*De colloquio.*

**I**NTER hos affectus solet anima ad  
Deum quem non solum præsentē  
habet,